



**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

6. Vinum efficit bestiam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](#)

tractatu de Virginitate & sobrietate : inter alia ebrietatis damna , etiam hæc recenset . Ebrietas flagitorum omnium mater est , culparum materia , radix criminum , origo omnium vitiorum , turbatio capitis , subversio sensus , tempesta linguae , procella corporis , naufragium castitatis . Exodi 32. Sedit populus manducare & bibere , & surrexerunt ludere . qualem lusum ? Veneris , Cupidinum , Salacium Capripedum , in lascivas choreas , & quæ cum his conjuncta sunt , prurientium .

VI. (g) Nunc ad navim Bacchi ; in qua tigrides , pantheræ (paridi , pardali) lynces quid aliud denotant , quam ebrios & temulentos in varias bestiarum naturas abire ? Videas enim homines post vinum largius haustum in miras animalium formas converti : alios quidem leonum & tigridum more ferocire : alios in lascivos hircos transfigurari : alios in ridiculos simios migrare : alios canum instar rixas ciere : alios spurcos sues , alios timidos lepusculos imitari , & madidæ suæ pietati illacrimari : alios alias animantes referre : omnes tamen decoris & honestatis oblitos nihil in homine pro homine agere . Quid enim belluis similius aut abjectius ubi tremula manus , lubricus incessus ? micant oculi , spumat os , disfluunt genæ , pedes titubant , incerta verba , vertigo capitidis , oris fœtor , ructus , naufea , vomitus ? profligata ratio ? proscriptus pudor ? Qui hæc alio Symbolo repræsentant , fingunt Noënum vini inventorem miscuisse viti , vinoque sanguinem quatuor animalium , putà Simiæ , leonis , porci , & agni ; nam liquor Bacchicus alios facit mortiones , quasi simios : alios pugnaces & crudeles , quasi leones : alios iuventulos & fœdos quasi porcos : alios mites , blandos , & quasi agnos .

Nautæ in Delphinos conversi innuunt , potores vivere in humoribus . Plinio teste , hic piscis statim exspirat extra aquas ; etiam bibendum vita natat in poculis . Delphines ludibundi circa naves saltus exercent ; calicum remiges , Ovidio teste , Fastor . 3 .

----- ducunt posito duras crateres choreas ,
Cultaque diffusis saltat amica comis .

VII. (h) Prisci , Carneade teste apud Philostratum , lib . 3 . de imag . Bacchum finixerunt vehi navigio , in cuius prora erat panthera , in puppi tigris , hinc inde hederæ & musica instrumenta ; in medio canalis vino exundans : nulli in navigio remi , nullum velum , nullus gubernator , ut significetur , in compotationibus & commissationum tempestatibus navigari inter turbines & procellas , præsentissimum honestati ac virtuti naufragium intentantes . De hujusmodi navi Salomon loqui-

(g) Vinum efficit ex homine bestiam . (h) Naufragium in vino .

tur